

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Epistola V. Innocentii Papae I. Vt hi, qui in presbyterio filios genuerunt, ab officio remoueantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

pter tribulationem , quæ sepe de his ecclesiæ prouenit.

IV.

Laici vero , qui habentes vxores , baptizati sunt , ac sic Dif. 33.
Laici qui
habentes. se instituerunt , vt opinio eorum in nullo vacillet , vt aut clericis iuncti sint , aut monasteriis , ex quo baptizati sunt haferint , & si non concubinam , non pellicem nouerint , si in bonis operibus vigilauerint , non prohibentur huiusmodi ad clericatus sortem assumi .

V.

Ita sane , vt in eos tempora a maioribus constituta , seruentur . Nec cito quilibet lector , cito acolythus , cito diaconus , cito sacerdos fiat : quia in minoribus officiis si diu perdurent , & vita eorum pariter & obsequia comprobantur , vt ad sacerdotium posthac , emensis stipendiorum meritis veniant , nec præripiant , quod vita probata mereatur accipere . Quoniam ergo certa diffinitione monstratum est , qui debeant admitti , quive reprobari : ex his omnibus , quos videt dignatio tua non posse reprobari , eligere debebis , quos clericos facias . Si enim nullam gratiam hominibus aut beneficium præstare velimus , tales inuenire possumus , de quorum assumptione nec incurrente scandalum , nec erubescere videamur .

EPISTOLA V.

INNOCENTII PAPÆ I.

Vt hi , qui in presbyterio filios genuerunt ,
ab officio remoueantur .

* *Britios.*

*Innocentius Maximo & Seuero episcopo per * Britios.*

ECCLESIASTICORVM Canonum norma nulli esse debet incognita sacerdoti , quia nesciri hæc a pontifice , satis est indecorum , maxime cum a laicis religiosis viris & sciatur , & custodienda esse ducatur . Nuper quidem Dif. 81.
Maximiliani
nus. Maximilianus filius noster agens in rebus huiusmodi , qualem querelam detulerit , libelli eius series annexa declarat . Qui zelo fidei & disciplinæ ductus , non patitur ecclesiam pollui ab indignis presbyteris , quos in presbyterio filios asserit procreasse . Quod non licere exponerem , nisi nossem vestram prudentiam legis totius habere noti-

Concil. Tom. 4.

D

tiam. Et ideo, fratres carissimi, libelli, qui subiectus est, tenore perspecto, eos, qui talia perpetrasse dicuntur, iubebitis in medio collocari: discussisque obiectionibus quæ ipsis presbyteris impinguntur, si conuicti fuerint, a facerdotali remoueantur officio: quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt: atque alieni efficiantur a ministerio, quod viuendo illicite polluerunt. Miramur autem haec eorum dissimulare episcopos, ut aut conniuere, aut nescire esse illicita iudicentur.

EPISTOLA VI.

INNOCENTII PAPÆ I.

Quod pœnitentium nullus ad clerum possit admitti.

*Innocentius Agapito, Macedonio, & Mauriano
episcopis Apulis.*

MVLT A in prouincia contra Canones ecclesiasticos Decretaque maiorum usurpari a plurimis, & relationes diuersorum, & suggestiones fidissimæ retulerunt: quæ quidem possent facile refecari, si episcopi in his non inuenirentur auctores. Qui dum aut amicis aut obsequentibus gratiam praestare nituntur, religionem violent, ordinesque corrumpunt. Ac sic evenit, vt indigni quique honores suscipiant ecclesiasticos, & admittantur ad clerum, qui nec inter laicos quidem dignum locum habere mererentur: sicuti in nunc dato nobis libello monstratum est, Modestum quemdam, multis criminibus inuolutum, propter quæ etiam pœnitentiam egisse dicitur, non solum clericum effectum, quod non licet, verum etiam ad episcopatus apicem eum tendere: cum Canones apud Nicæam constituti, pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludant. Et ideo, fratres carissimi, perspecto tenore libelli, eum iubete praesentari: ac si vere constiterit talem, quam libellus affirmat, non solum ab episcopatus ambitione, sed etiam a clericatus remoueatur officio.

Dif. 50.
Canones
apud Ni-
cæam.
Can. 10.
Can. Nic.